

& eruditos, qui Leydensem ab erroribus liberarent. Habitum est colloquium, & disceptatum, de Regno chiliastico, Magistratu Politico, Iustificatione apud Deum, Sacra Coena, Humanitate Christi, nec non Coniugio. Ast re infecta abierunt, Regulo nimis insolenter se gerente. Posthaec ipse rogavit, velint ad se reverti Theologi, se nunc mitius responsurum esse. Voti sui damnatus, quaedam abiecit, & damnavit, alia propugnatum ivit. Fatebatur enim regnum Monasteriense, quod antea pro typo regni millenarii habuerat, mortuam tantum fuisse imaginem, & non potuisse non obabus collabi. Magistratum esse ordinationem Dei, eidemque, si impius vel Turca sit, obediendum, inique se etiam erga magistratum egisse, Iustificationem esse ex sola fide, in Sacra Coena Christi corpus & sanguinem vere adesse, in rebus matrimonium concernentibus praecipitanter se egisse. Interim pro regno millenario propugnabat, Baptismum infantum humanum inventum, & figmentum dicebat. Christum ex Maria carnem assumpsisse inficiabatur. Ex quibus facile perspicere possumus, illum ad speciem modo quaedam revocasse, vitae tantum conservandae causa.

§. XXXIV. *PIFISTERVS MEYER* Anabaptista, habita Bernae, A. clō 10 XXXI. d. XIX. April. disputatione, errores suos misos fecit. Hic Wigando, de Anab. p. 448. Pistor Maior nominatur. Disputatio, cum homine habita, typis exscripta prostat, teste Ortio l. c. p. 53.

§. XXXV. *EZECHIEL METH*, Longo-Salissae in Thuringia natus, Patrem habuit Nicolaum Gregorlischium, virum de Schola istius oppidi, bene meritum, a cuius obitu, mutato nomine, Ezechielem Methum sese vocavit. Detestandi sunt, quos fovit errores, revocati ad XII. capita, & examinati, a Theophilo Haeresimacho, nec non Marco Reindica, Heinsbergensi. Cuius utriusque scriptum reperitur, in Panth. Fanat. P. l. p. 65. sqq. Re Dresdam delata, comparere in Senatu Ecclesiastico, suaeque doctrinae rationem coram reddere iussus est. Omnibus frustra tentatis, in carcerem coniectus est, ne in posterum execrandis suis dogmatibus alios inficeret, quibus Elector peculiari interdico